Quelle: https://manuscripta.at/?ID=232
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



9

maledicto plenu est veloces pedes eorum ad effundendu
sanguinem contritio et infelicitas in viis eorum et viam
pacis non cognoverunt non est timor dei ante oculos eorum
Domine cognoscent omnes qui operantur iniquitatem qui devorant
plebem meam sicut escam panis eum non invocaverunt
illic trepidaverunt timore ubi non erat timor quoniam
dominus in generatione iusta est consilium inopis confudistis quoniam dominus
spes eius est quis dabit ex sion salutare israel cum averterit dominus captivitatem plebis suae exultabit iacob et
letabitur israel Gloria patri et filio et spiritui sancto Psalmus
Domine quis habitabit in tabernaculo tuo aut quis
requiescet in monte sancto tuo qui ingreditur sine
macula et operatur iustitiam qui loquitur veritatem in corde
suo qui non egit dolum in lingua sua nec fecit proximo suo
malum et opprobrium non accepit adversus proximos suos
Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus
timentes autem dominum glorificat qui iurat proximo suo
et non decipit qui pecuniam suam non dedit ad usuram et
munera super innocentes non accepit qui facit hec non
movebitur in eternum Alia Respice et exaudi me
domine deus meus Memor fui in nocte nominis tui domine
et custodivi legem tuam In secundo nocturno psalmus
Conserva me domine quoniam speravi in te dixi domino
quoniam bonorum meorum non eges Sanctis qui
sunt in terra eius mirificavit omnes voluntates meas
in eis Multiplicate sunt infirmitates eorum postea
acceleraverunt non congregabo conventicula eorum
de sanguinibus nec memor ero nominum eorum Dominus
pars hereditatis mee et calicis mei tu es qui